



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

175. Dominica SS. Trinitatis. De SS. Trinitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Dominica SS. Trinitatis.* 309

Dei solius gloriam quæsihero. Ita Dominus  
S. Ger. lib. 4. cap. 14.

MEDITATIO CLXXV.

*Dominica SS. Trinitatis.*

*De SS. Trinitate.*

**P**Ræsentabo mihi gloriam DEI, quam  
vidit Isai. cap. 6. inter Seraphinos; vel  
Daniel: *Millia millium assistebant ei, & decies  
centena millia ministrabant ei.* Petam à SS.  
Triade lumen ad agnoscendam ex parte  
Majestatem ejus, & gratiam ad eam reve-  
rentiâ, amore, & obsequio honorandam,  
sicut oportet.

*Conf. 1.* Abyssali demissione unam na-  
turam, unum intellectum, & unam Volun-  
tatem essentialiter à se ab æterno, sine fine,  
Patrem, Filium, Spiritum sanctum. Patrem,  
qui ex fœcundo intellectu per actum notio-  
nalem producit Filium, & per actum notio-  
nalem voluntatis, quæ est ipsissima Patris,  
& Filij voluntas, Spiritum sanctum proce-  
dentem. Quod mysterium suppositâ Fide  
hâc ratione probatur: Deo alijs fœcundita-  
tem producendi simile sui juxta naturam  
danti, concedenda est eadem perfectio, ut  
producat Personas, quæ sint Deus, sicut est  
ipse; quia verò ipse est actus purissimus Intel-  
lectus, & Amoris, eò, quòd sit Ens intelle-  
ctuale,



Etuale, producet duas Personas, unam per viam cognitionis, alteram amoris, quibus (cùm Deus non possit multiplicari) communicat suam individuam, & simplicem naturam: itaque omnes tres Personæ, una improducta, & duæ productæ, sunt unus idemque D e u s, solus potens, solus se comprehendens, solus se, quantum diligibilis est, diligens, affectu complacentiæ, & desiderij, ut cognoscatur, & ametur, sicut oportet.

*Conf. 2.* Proprietates singularum Personarum, quas eis dat Ecclesia. Pater improductus, Principium productionis, à quo dependent omnia, magis, quàm radij à Sole. Ipsi debitâ reverentiâ attribuam omne bonum naturæ, & gratiæ, illudque ab eius providentiâ paterna petam, propter ipsum donis acceptis utar, nihil propriæ gloriæ, vel commoditati relinquam.

*Conf. 3.* Quomodo Filius dicatur Sapiëntia Patris, Principium Redemptionis, propter nos exinanitus. Ipsi Fidei omnem intellectum meum subijciam, & mancipabo.

*Conf. 4.* Quomodo Spiritus sanctus sit Principium amoris, & bonum primum, quia amor ab amante primus donatur amato, unde oritur omne donum: ideo Spiritus sanctus dicitur primum donum. Eidem offeram



*Feria 2. post Dom. SS. Trinit. 311*

feram voluntatem meam in habitationem,  
& corpus in Templum, præsertim in Com-  
munionem. O amœnitas omnium colorum,  
dulcor omnium saporum, fragrantia omnium  
odorum, delectatio omnium sonorum, sua-  
vis amœnitas amplexuum intimerum, super-  
effluens abyssus divinitatis: Te omni crea-  
turæ præeligo, propter Te omni delectatio-  
ni abrenuntio; pro Te omni adversitati ob-  
vio: in his omnibus Te unicum laudatorem  
requiro: Tu animæ meæ vita: Tecum fit  
affectio cordis mei, vi ardoris amatorij  
conflata. Utinam in omni, ad quod sine Te  
tendit anima mea reddatur inanimata! ita  
D. Gertr. lib. 3. cap. 66.

**MEDITATIO CLXXVI.**

*Feria 2. post Domin. SS. Trinit.*

*De Omnipotentia Dei.*

**I**ntuebor brachium Omnipotentia divi-  
nae, cui omnia pari modo sunt possibilia.  
Petam illo semper protegi.

*Conf. 1.* Quomodo Deus plus quam se-  
ptuagies nominetur Omnipotens in sacris  
Biblijs. Colligitur Omnipotentia DEI ex  
toto hoc, quod fecit, & quidem verbo: quia  
1. ex nihilo fecit tam multa, varia, solida,  
perfecta, virtutis plena, subito 2. Caelos  
pulchros, mobiles, incorruptibiles, Sole, Lu-  
na, Stell.